AVERROIS

PARAPHRASIS

IN LIBRUM POETICAE ARISTOTELIS

IACOB MANTINO HISPANO HEBRAEO MEDICO INTERPRETE.

EX LIBRO QUI VENETIIS APUD IUNCTAS A. M·D·L·XII PRODIIT

ITERUM EDIDIT

FRIDERICUS HEIDENHAIN.

COMMENTATIO EX SUPPLEMENTIS ANNALIUM PHILOLOGICORUM SEORSUM EXPRESSA.



LIPSIAE
IN AEDIBUS B. G. TEUBNERI
MDCCCLXXXIX.

AVERROIS

PARAPHRASIS

IN LIBRUM POETICAE ARISTOTELIS

IACOB MANTINO HISPANO HEBRAEO MEDICO INTERPRETE.

EX LIBRO QUI VENETIIS APUD IUNCTAS A. M·D·L·XII PRODIIT

ITERUM EDIDIT

FRIDERICUS HEIDENHAIN.

COMMENTATIO EX SUPPLEMENTIS ANNALIUM PHILOLOGICORUM SEORSUM EXPRESSA.



LIPSIAE

IN AEDIBUS B. G. TEUBNERI

MDCCCLXXXIX.



PAGINARUM NUMERI SUNT SUPPLEMENTI SEPTIMI DECIMI ANNALIUM PHILOLOGICORUM.

LIPSIAE: TYPIS B. G. TEUBNERI.

Quae ex Arabum libris ad meliorem Artis Poeticae Aristotelis intellegentiam ab hominibus doctis his demum annis allata sunt, ea aut tam exigua sunt aut Arabum linguae ignaris tam non utilia, ut haud paucis me gratum facere confidam quod quam Iacob Mantinus Hebraeus fecit Latinam Averrois paraphraseos interpretationem totam integramque iterum edo.

Extat autem interpretatio illa in libro rarissimo qui inscribitur: 'Aristotelis de rhetorica et poetica libri cum Averrois in eosdem paraphrasibus. Venetiis apud Iunctas MDLXII.' Quod volumen secundum est editionis Iuntinae omnes Aristotelis libros cum Arabis illius paraphrasibus continentis.

Interpretatio singularis est diligentia et subtilitate auctoris, quippe quem ut verum praeberet Averroem etiam lectionum varietatem respexisse ex notis in margine scriptis appareat. Quo maior a nobis interpreti fides habenda est.

Hunc igitur librum ita edendum censui ut et siglorum quae quam plurima insunt obscuritate remota usitatas omnes litteras exhiberem et distinctionem huic, quae hodie in usu est, similiorem redderem.

Infra adscripsi, quos Aristotelis Poeticae locos Averrois respexisse videtur; uncis inclusi, quos parum aut omnino non intellexit. Compendii causa priores numeros omisi: 47a 8 igitur idem est quod 1447a 8. Qui autem loci ipsa Aristotelis verba reddere aut prope ad eius sententiam accedere videntur, in nostra vero Poetica non inveniuntur, hunc in modum notavi: — ? Quamquam hanc rem absolvere nec volui nec potui: multis enim in locis multa disputatione opus est, ut, utrum Aristoteli an Averroi tribuendi sint, diiudicetur, et qui loci, si universi spectantur, quadrant, eorundem saepe singulae partes ab Aristotelis sententia longius propius recedunt. — Ut fragmenta commodius citentur, numeros addidi.

Strasburg, Westpreussen. Heidenhain.

Averrois

paraphrasis in librum Poeticae Aristotelis,

Iacob Mantino Hispano Hebraeo Medico interprete.

Huius libelli propositum est exponere id, quod in libro Poeticae Aristotelis de regulis universalibus atque communibus omnibus vel plurimis nationibus continetur: cum tamen multa in eo contineantur, quae non sunt regulae propriae Arabum Poesi neque eorum consuetudini. et id septem capitulis complectemur.

Quot et quae sint imitationis genera: ac ex quibus sermonibus imitatio ordinetur. Cap. 1.

1. Inquit Aristoteles. Propositum nostrum nunc est de Poetica arte de eiusque generibus tractare. Oportet autem, ut si quis velit recte tradere eius regulas, ut primo dicat, quaenam sit actio (seu facultas) unius cuiusque generis poematum, et ex quibus ipsae fabulae poeticae ac ex quot rebus constent, nec non quaenam sint earum partes tum communes, tum propriae, quibus etiam constent ipsae, quotve sint genera rationum, quae in fabulis considerantur: initio scilicet sumpto ab ipsis principiis, quae nobis natura insunt circa hoc.

2. Inquit. Omnis Poesis omnisque fabula poetica in vituperandi vel laudandi genere consistit. quod quidem inductione probari potest de ipsis poematibus, praesertim de Graecorum poematibus, quae de rebus voluntariis agebant: nempe ex honestis et inhonestis. ita quoque res se habet in artibus imitantibus ipsam Poeticam, quae quidem ad pulsationem cithararum ac tibiarum accommodantur, eas scilicet haec duo proposita considerare. Fabulae autem poeticae sunt sermones imitatorii: genera vero imitationis et similitudinis sunt tria: duo simplicia et tertium compositum ex illis. Ex duobus autem illis simplicibus unum consistit in imitatione alicuius rei ac eius similitudine alicui alteri rei, hoc autem prout est unicuique

---

25 locum non intelligo: ʿeas .ſ. haec' liber; .ſ. autem ubique pro scilicet adhibetur.

---

11 : 47a 8ss. 20 : 48a 1. 24 : in 47a 15 videtur non πλείστη sed ποιητική legisse. 47a 21. 27 : 47a 28; b13. 28 : —?

idiomati familiare per dictiones sibi proprias, quae apud Arabes literae similitudinis vocantur. Alterum vero consistit in acceptione alicuius similis vice alterius similis quod quidem in hac arte permutatio appellatur. Nec te latere debet sub hac parte includi ea genera, quae hac nostra aetate Metaphora ac Cognominatio nuncupantur. Verum cognominationes ut plurimum sunt permutationes ex affectibus affectuum rei: sed metaphora est commutatio rerum illi proportionatarum, hoc est, cum unius rei proportio ad secundam sit proportio tertiae ad quartam et permutetur nomen tertiae in primam vel econtra. in libro autem Rhetoricae explicatum est quot modis fiant commutationes. Tertium vero genus poeticarum orationum ex duobus nunc dictis constat.

3. Inquit. Ut natura quidam homines imitantur aemulanturque pleraque inter sese in actionibus, ita ut aliqui coloribus, alii figuris, nonnulli vocibus imitentur: et hoc vel arte et habitu, qui imitatoribus inest, vel ob consuetudinem, quam prius de hoc habuerunt: ita quoque in orationibus sunt natura imitatores. Imitatio autem in sermonibus poeticis atque aemulatio ex tribus quidem fit, nempe harmonia ac numero ac ipsamet imitatione. Horum autem unumquodque potest separatim et seorsum ab alio reperiri quandoque: ut harmonia in *psalmis, numerus vero in citharis (seu choris) ipsaque imitatio in oratione: intelligo sermones imitatorios non metricos neque numero perliberatos. quandoque vero possunt simul permisceri haec tria invicem, ut fit apud Arabes. fiunt enim quae ab hominibus huius insulae poemata sunt adinventa, postquam res ipsae naturales continuerint atque aggregarint ipsa poemata naturalia. ipsas vero res naturales adinvenerunt ipsae *gentes naturales. in Arabum enim poematibus non erat harmonia, sed vel tantum numerus vel et numerus et imitatio simul. Tria ergo sunt genera artium imitantium, vel quae munere imitandi funguntur: nempe, quae harmonia, quae numero, et quae sermonibus imitantibus utitur. et est haec ars, de qua in hoc libro agitur.

4. Inquit. Multi reperiuntur sermones, qui vocantur poemata, qui nihil facultatis Poeticae obtinent praeter numerum tantum: ut sunt sermones metrici ipsius Socratis ac sermones Empedoclis naturales. in sermonibus vero poeticis ipsius Homeri econtra evenit. quoniam utrumque illorum reperitur in eis simul.

5. Inquit. Quam ob rem non debet vere nominari poema nisi quod haec duo amplectatur. illa igitur dignius debent vocari sermones quam poemata: quemadmodum et qui in Physicis utitur ser-

---

21 In margine: a. l. *(hoc est: alii legunt)* fistulis. 27 I. m.: a. l. virtutes.

---

5 : 57b 7; b 16. 10 : Rhet. 3, 2 p. 1405a 3 ss. 13 : 47a 18. 17 : 47a 21. 20 : 47a 23. 22 : 47a 29. 23 : 47b 24. 26 : 49a 9, 13. 48b 20. 33 : 47b 9. 38 : 47b 18.

monibus metricis, Physicus potius merito vocandus est quam Poeta. Similiter quoque sermones imitatorii, qui ex metris permixtis constant, profecto non sunt poetici. Ex dictis igitur constat quotnam sint genera imitationis ac ex quibus sermonibus imitatio ordinetur in ipso sermone, ita ut eius actio sit perfecta.

De duabus aliis imitationis differentiis, penes res imitatas ac penes imitandi modum. Cap. 2.

6. Inquit. Quoniam vero qui imitantur et aemulantur, ideo imitantur, ut inducant aliquos ad aliquam voluntariam actionem agendam, aliquam vero aliam prohibendam: oportet ergo ut ea quae proposuit imitari, sint vel virtutes vel vitia. Nam omnis actio omnisque mos ad alterum horum duorum declinat atque insequitur: nempe vel ad probitatem, vel improbitatem. Sed cum, quidquid ex actionibus voluntariis quaeritur imitari, sit vel virtus vel vitium, ergo ut per probitates et probos ipsas probitates imitemur, improbitates vero per improbitates et per improbos; porro cum quaelibet imitatio fiat de pulchro vel turpi: ergo omnis imitationis propositum est honestare vel dehonestare. Sequiturque ex hoc, ut quicunque virtutes imitantur, hoc est, quia eas imitari sunt natura proni, sint probi: econtra vero, qui vitia imitentur, deficiant natura ab his ad vitiaque magis accedant. ex his ergo duorum generum hominum datur laus et vituperium, hoc est virtutes laudare vitiaque damnare. ob idque fuerunt aliqui poetae apprime laudantes, non tamen exacte vituperantes. Ergo cuilibet imitationi insunt hi duo actus, videlicet laudandi vel vituperandi. similiterque hae duae differentiae reperiuntur in imitatione, quae circa sermones fit, non autem in ea, quae fit per metrum, neque in ea, quae per harmoniam. Tertia praeterea differentia inest ipsi imitationi, quae per sermones fit: nempe qua quaeritur ut aliquid simile alicui alii sibi simili omnino conveniat: praeter hoc quod quaeratur per id laudatio vel vituperatio, sed tantummodo ipsa mera convenientia et concordia. hoc autem genus imitationis est veluti materia apta ad duo opposita transmutari: videlicet alias ad laudem per excessum (seu additionem) transmutata, alias vero ad vituperium per excessum etiam transmutata.

7. Inquit. Haec inquam est Homeri imitatio: nempe ut, cum effingit aliqua convenientia et similia, id quidem habeat excessum aliquem ad laudem vel vituperium. Inter poetas praeterea aliquis maxime valet in praestanda imitatione conformi et convenienti seu simillima tantum, aliquis vero in ea, quae laudem vel vituperium habet, aliquis alius in ea quae utrumque horum amplectitur, ut Homerus usus est.

Aristoteles autem de quolibet horum generum exemplum tra-

---

2 : (47b 20). 8 : — ? 10 : 48a 1. 16 : 48a 4—18. 18 : 48b 24. 25 : 48a 7. 27 : (48a 19). 35 : 48b 34. 37 : 48a 6 (ὁμοίους).


didit per varia genera carminum seu poematum, quae tunc in suis regionibus erant nota, solebantque uti quolibet horum trium generum imitationum. Tu autem facile invenies huiuscemodi genera in carminibus Arabum, et si plurima eorum, ut inquit Alfarabius, sunt ad luxum attinentia. nam illud genus, quod amatorium vocant, inclinat quidem homines ad rem nefandam ac prohibitam. idcirco ab huiusmodi carminibus amonendi sunt pueri: immo instituendi sunt, ut in usum habeant ea carmina, quae ad fortitudinem et gloriam conducunt. nam Arabes in suis carminibus non hortantur ad alias virtutes quam ad has duas. etsi de his etiam, non ut hortentur ad eas tractent, sed potius iactantiae gratia. At illud genus poematis, in quo quaeritur imitatio eiusdemmet rei atque convenientia, ut diximus, est in frequenti usu apud eos: proptereaque eorum sapientes frequenter describunt animalia atque stirpes. Graeci vero ut plurimum nullum carmen proferunt, quin ad aliquam hortandam virtutem vel ad aliquod vitium dehortandum se vertat, vel quod aliquem optimum morem vel scientiam praestare non suadeat. Ex iam dictis ergo patet genera imitationum esse tria, earumque differentias esse tres, et quae sint huiusmodi differentiae tres et ipsa tria genera. Quodsi exacte perquirantur ipsa poemata, videbitur esse verum non dari quartum genus imitationum neque quartam differentiam illorum generum.

De Causis, a quibus orta est Poetica, et de aliquibus ipsius speciebus. Cap. 3.

8. Inquit. Videtur a duabus causis et quidem homini naturalibus Poetica habuisse originem. Prima est, quoniam insitum est a natura hominibus a pueris imitari. hoc autem inter cetera animantia est maxime proprium homini. Cuius rei causa est, quia homo inter cetera animantia gaudet imitationibus rerum, quas iam perceperat. Quod autem homo gaudeat natura ipsis imitationibus, argumentum est, quoniam nos gaudemus imitatione rerum, quas cum molestia adspicimus et non cum delectatione, praesertim cum illa imitatio fuerit exactissima et concinna. ut in imaginibus multarum ferarum truculentarum atque picturis earum, quas praestantissimi pictores efficiunt, evenire solet. Et ob hanc causam utimur imitationibus in disciplinis pro rerum intellegentiis atque interpretationibus. Sunt enim ipsae imitationes instrumentum conducens ad intelligentiam rei quam quaerimus intellegere ob delectationem, quam habemus de imaginibus, propter id quod habent de imitatione. Anima igitur perfectius recipiet, quanto magis gaudebit: quoniam non solum Philosophis iucundissimum est discere sed etiam ceteris hominibus, quamquam modice hi in hoc cum Philosophis communicent: quoniam aliquis homo ex aliquo discet iuxta variam rationem, quae est inter

---

17 : 47a 16, 48a 24. 25—42 : 48b 3—19. 35 : — ?



ipsum docentem et discentem. Sed quoniam imagines sunt imitationes rerum, quas iam percepimus: ergo eis utimur ad velociorem ac promptiorem intellegentiam. praestant autem intellegentiam rerum propter voluptatem seu delectationem, quam praebent ob similitudinem quam habent. Haec ergo est prima causa, quae poesim peperit. Secunda vero causa est, quia natura humana gaudet numero ac harmonia ac metris: quoniam metra videntur ad numerum attinere, maxime apud eos, qui a natura habent metra assequi. Voluptas autem naturalis, quae ad imitationem et rhythmos ac harmoniam et metra est prona, genuit ipsam Poeticam: praesertim apud eos, qui ab initio sunt ad id habiliores. qua natura aucta, orta inde est in eis ars Poetica: propterea quia primus de ea aliquam portiunculam tradidit, mox qui primum secutus est aliam tradidit iterum portionem, et ita paulatim extemporariis, donec artes Poeticae perfectae fuerunt. genera quoque earum varia completa sunt pro varia hominum generis habilitate et promptitudine ad maiorem delectationem alicuius generis Poesis. Exempli causa praestantiores ac digniores animi natura primo genuerunt artem laudandi, intellego honestas laudare actiones: viliores vero artem vituperandi pepererunt, nempe actiones pravas vituperare: licet oporteat, qui intendit vituperare vitiosos atque actiones vitiosas, laudare probos ac honestas actiones, ut turpitudo vitiorum magis propaletur: intellego quod, postquam ea narraverit, mox contra illa actiones pravas enarret. Haec inquam est summa rerum communium omnibus vel pluribus gentibus, quae in hoc capitulo continentur: reliqua vero, quae in eo continentur, omnia vel maior pars eorum sunt res, quae erant propriae carminibus Graecorum et consuetae apud eos. Meminit enim Aristoteles artium poeticarum, quae erant in usu apud eos: et quo pacto ortae sunt unaquaeque earum natura, et quae pars fuerit prior in generatione sua alteri praesertim in arte laudandi et vituperandi, quae omnes erant tunc apud eos famosae. Adhuc narrat, quis fuerit primus qui incoepit invenire unamquamque illarum artium poeticarum, quae erant in consuetudine apud eos, et quis addidit super illas et quis post hoc perfecit eas. Et in hoc summe laudat Homerum, dicitque eum fuisse, qui tradidit principia harum artium, et quod nemo ante ipsum in arte laudandi aut vituperandi vel in aliqua alia arte apud eos famosa quicquam egit, quod esset alicuius dignitatis aut admiratu dignum.

9. Inquit. Cum igitur a principio imperfectiora ac breviora essent carmina: quia naturaliter facilius in haec incidimus. Breviora autem sunt, quae ex minoribus constant syllabis: imperfectiora vero, quae paucioribus constant melodiis.

---

42 liber: constat.

1: — ? 6: 48 b 20. 11: 48 b 22. 12: 49 a 13. 14: 49 a 13. 17: 48 b 24. 27 : 48 b 24 — 49 b 20. 34 : 48 b 34. 35 : 48 b 28. 39 : 49 a 19. 40 : — ?

10. Inquit. In arte vituperandi non quaeritur imitatio secundum omne genus vitii et turpis tantum, sed eius vitii omnis, quod ridiculum est: nempe quod quidem vile est ac turpe, de quo dolendum non est.

11. Inquit. Quod autem ipsa derisio has tres obtineat condiciones, argumentum est, quia in facie *irrisi haec tria reperiuntur: videlicet facies iracunda est ad convitiaque disposita parumque dolens de eo, qui eum irridet, contra id quod in facie irascentis evenire solet, videlicet quod in facie irascentis est iracundia et iactantia atque dolor. haec inquam est dispositio animi contra eam rem, contra quam irascitur.

Quae sit tragoediae essentiae definitio: et quot, ac quae sint ipsius partes et quales. Cap. 4.

12. Inquit. Optima ars laudandi, id est Tragoedia, quae metrico sermone imitatio praestantium est, utitur carminibus longioribus, non brevibus. Idcirco posterioribus poetis non placuerunt carmina brevia, quae tunc in eo genere erant in usu atque in aliis artium Poeticae: cui quidem proprium metrum est, quod simplex, non compositum est: verum non debent tantam habere prolixitatem, ut in enarrationem hominibus molestam deveniant. Definitio autem quae intelligentiam essentiae artis laudandi (id est Tragoediae) praestat, est imitatio actionis illustris, voluntariae, perfectae, cui inest vis universalis circa res praestantiores, non autem particularis de singula re praestanti: qua quidem imitatione animi recta afficiuntur affectione per misericordiam atque terrorem in eis orta. Hoc autem fit imitando viros probos sanctitate et puritate: quoniam imitatio fit de dispositionibus, quae virtutes inducunt, non de habilibus, cum hos imitari nequeamus. perficitur autem imitatio in sermone, si illi melodia et numerus adiungatur. Reperiuntur tamen aliquae dispositiones, quae circa numerum et melodiam reddunt sermonem efficacioris imitationis: ut sunt pronuntiationes et gestus vultus, de quibus in libro Rhetoricorum dictum est. Prima vero pars Tragoediae in ipsa actione est, ut res praestantes enumerentur, quibus fit imitatio: mox hae melodia ac metro convenientibus illi rei, de qua dicitur, apparentur. Usus autem melodiae in carmine disponit animam ad recipiendam imitationem illius rei, quam quaerimus imitari: ac si melodia praestet ipsi animae eam dispositionem, qua quaeritur imitatio rei, de qua imitatio quaeritur. Praestat vero ipsi animae hanc dispositionem in singulo generum Carminis illa melodia, quae

5 In margine: deformis. 12 liber: equales. 24 liber: ortam. 33 liber: quo.

1 : 49a 31. 4 : 49a 34. 6 : — ? 13—17 : 49a 2—6. 17 : 49b 11. 18 : 49b 14; 50b 39 19 : 49b 23. 22 : 51a 15, 36; b 6. 23 : — ? cf. quae 'De doctrinae artium Ar. principiis' contra Bernaysium p. 27, scripsi. 24 : 54a 16. 25 : 50a 16. 27 : 49b 28. 28 : 55a 29. 31 : 50a 15. 34 : de melodia imitationis adiutrice in Poetica nihil hodie extat; ad Politicam VIII, 5, 1340a 22, 40ss. relegari oportet.

illi generi poematis congruit suis concentibus et compositionibus. nam quemadmodum videmus concentus acutos convenire alicui generi sermonis, cui graves non convenerant, idem de compositione melodiarum arbitrandum est. Naturae autem vel affectus eorum, qui historias et fabulas enarrant, quae perficiunt imitationem in ipsismet sermonibus poeticis existentem per haec tria, nempe per imitationem et numerum atque melodiam, quae quidem sunt elementa et bases ipsius imitationis, duae in genere sunt: altera quidem, quae aliquem morem indicat, ut exempli causa prudentem loquentem referat vel iracundum: altera vero, quae eius sententiam declaret propriamque mentem aperiat. Quoniam effigies loquentis, aliquid affirmantis, non est effigies id dubitantis. nam effigies sermonis eius, qui alicuius laudem enarrat atque promulgat, eiusque gestus et vultus debet esse effigies asserentis et certificantis, non dubitantis et deridentis. Historiae autem et rerum novitates atque enarrationes, quas debet referre historiographus, qui illas duas iam dictas naturas habet, sunt ipsae fabulae, quae imitatione fiunt. Intelligo per fabulas compositionem rerum, quarum imitatio quaeritur, sive id fit ut res se habet secundum esse, sive ut in usu habetur, quamvis sit falsum: idcirco sermones poetici appellantur fabulae. Quare et historiographi atque fabulatores tandem sunt, qui habent vim imitandi mores atque sententias.

13. Inquit. Necesse igitur est cuiuslibet Tragoediae sex esse partes: nempe fabulas imitatorias, Mores, *Metrum, Sententiam, **Apparatum, Melodiam. Huius autem rei ratio est: quia omnis sermo poeticus dividitur in id, quod est imitans, et in id, quod imitatum est. Imitans autem tribus constat, videlicet imitatione, dictione ac melodia: Quod vero imitatum est in ipsa laude tribus quoque reliquis complectitur scilicet moribus, sententiis et apparatu. intelligo per apparatum assumere ex eo argumentum et indicium ad sententiae congruitatem. Sunt ergo partes tragoediae necessario sex. Mores vero ac sententiae sunt praestantiores partes, cum Tragoedia non sit subinde hominum imitatio, qua sunt singulares homines percepti. sed eos imitatur ob suos congruos mores atque actiones probas animaeque felices sententias Consuetudines etenim actiones ac mores amplectuntur: idcirco consuetudo fuit una ex sex partibus Tragoediae, et non oportuit distinguere eam in actiones et mores de eisque mentionem facere in ea. Apparatus autem est accommodatio sententiae animi: et si apud Graecos extat aliquod genus, quo sumatur argumentum per huiuscemodi animi accomo-

9 liber: indicant. 18 liber: sit. 24 In margine: *Dictio. **Aspectus. 31 I. m.: Dixit interpres. inveni meum codicem erratum hic et defectivum.

4 : —? quadrant vero optime ad ea quae nuper de tragoediarum generibus exposui. 11 : —? 17 : 50a 4. 18 : 51a 36; 60b 10. 23 : 50a 7. 25 : 49b 31, 36; 50a 10. 33 : 54a 33. 34 : 54a 22.

dationem seu apparatum. ut gratia exempli quod aliquis fit laetus ac hilaris, hoc quidem non reperitur in Arabum carminibus. at in sermonibus laudatoriis haec duo reperiuntur: nempe mores et sententiae. Trium vero reliquorum generum, quae sunt, indicium sumitur ex tribus rebus, quas imitamur, scilicet fabularum, melodiae et metri.

14. Inquit. Fabulae partes quidem duae sunt. omnis enim imitatio est, vel qua suae imitationi propositum sit aliud quippiam imitatum confictumque: mox ex illo transferatur ad illam imitationem suam, quod apud Graecos peripetiae dicitur id est eventus in contrarium: aut quod eadem res confingatur, praeter quod devietur ad imitationem contrarii et hoc assumptionem indicii appellant.

15. Inquit. Fabula est principium ac veluti anima Tragoediae; secundo loco mores: cui praeest imitatio, id est quos imitatur. imitatio enim est basis et principium huius artis: quia non fit delectatio ob relationem rei, quam referre quaeritur, nisi confingatur: sed bene fit delectatio et receptio illius, dum confingitur. et idcirco non aeque delectabit, si quis fucis pulcherrimis tabulam fusim illinat, ac si imaginem albo tantum distinxerit: ideoque homines exercent artem pingendi imagines et picturas.

16. Tertia autem tragoediae pars, quae secundam insequitur, est ipsa sententia. haec autem est posse explicare quae instant atque quadrant, id est habere vim imitandi id, quod ita se habet vel non ita se habet. hoc autem est proprium munus ipsius Rhetoricae ad probandum aliquid esse vel non esse. verum Rhetorica id sermone persuasivo probat, Poetica vero sermone imitativo. porro imitatio in rebus Legalibus quoque reperitur.

17. Inquit. Sane veteres civiliter dicentes confingebant, posteriores vero rhetorice: hoc est Antiqui impositores morum pro firmandis sententiis in animo, satis erat eis uti sermonibus poeticis: posteri vero rhetorica uti satius esse iudicarunt. Interest autem inter sermonem poeticum, qui sententiam hortatur, et qui morem: quod qui morem persuadet, hortatur quidem super actionem alicuius rei, aut ut illam fugiat. sermo autem qui ad sententiam persuadet, hortatur quidem ad aliquid esse vel non esse, non ad aliquid quaerendum vel fugiendum. Quarta autem pars, quae tertiam sequitur, est metrum et numerus: cuius perfectio est explicatio intentionis. nam multa sunt metra, quae alicui intentioni respondent, quae tamen alicui alteri non respondent. Quinta autem pars per ordinem est ipsa melodia: quae quidem est inter omnes has partes, quae maxime imprimat in animo. Sexta vero pars est ipsum spectaculum. intelligo

8 liber: praepositum.

7 : 52 b 9 (a 12—b 8). 13 : 50 a 38. 14 extr.: 47 a 13. 15 : —? 17 : 50 b 1. 21 : 50 b 4. 25 : —? 28 : 50 b 7. 31 : —? 36 : 50 b 12. 38 : —? 39 : 50 b 15. 41 : 50 b 16.

per apparatum spectaculum seu assumptionem rationis pro sententiae commoditate aut actionis commodo, non autem sermone persuasivo. hoc enim non decet in hac arte, sed sermone conficto et imitatorio: quoniam ars poetica non est adinventa ad usum argumentationis et disputationis et praesertim ipsa Tragoedia. et ideo Tragoedia non utitur pronunciatione et gestu atque vultus nutibus, sicut utitur ipsa Rhetorica.

18. Inquit. Ars Theorica, quae docet, ex quibusnam fiant carmina, et quo pacto fiant, praestantior quidem ac principalior est, quam sit ipsamet carmina conficere. quoniam quaelibet ars, quae docet actionem, praestantior et principalior est, quam quae sub illa locatur.

De partibus Tragoediae qualibus. Cap. 5.

19. Cum igitur iam dictum sit, quid sit Tragoedia et ex quibus componatur et quot sint eius partes et quae sint, nunc de rebus, quibus fit contextus rerum, quibus carmen consistit, dicendum est. nam tractare de his rebus est necessarium in Tragoedia atque in aliis generibus Poesis. hoc enim est veluti primum maximumque principium eius. Quoniam res, quibus ipsae artes consistunt, bifariam dividuntur: nempe vel sunt res necessariae vel res quibus praestantiores ac perfectiores reddantur. Dicendum ergo est Tragoediam debere perficere finem actionis suae, videlicet ut ex ipsa imitatione, cum assequatur finem, quem ex natura sua praestare potest. hoc autem propter varias res fit. quarum una est, ut carmen habeat quandam determinatam magnitudinem, qua sit totum perfectum. Totum autem et perfectum est id, quod habet principium, medium et finem. Principium autem est quod praecedit, et non est necesse ipsum reperiri cum rebus, quibus est principium. Finis vero, qui est post illas res, quibus ipse est finis, et non prius. Medium vero est id, quod est prius et posterius et simul. est ergo praestantius utroque extremo, cum ipsum medium sit in loco priori et posteriori. Viri enim fortitudine praediti locum in acie obtinent, qui inter pusillanimes et temerarios mediat. est autem locus medius, qui ex extremis constat: extrema vero ex ea non constant. Ad haec non est necessarium, ut ipsum medium sit aequale, scilicet ut optimam habeat compositionem atque ordinem tantum, verum etiam congruentem magnitudinem. Oportet ergo ipsum carmen habere principium, medium et finem et ut unaquaeque harum partium sit magnitudine media: oportetque totum compositum ex eis esse magnitudinis terminatae, non cuiusvis magnitudinis contigerit. Nam pulchritudo compositi (seu bonitas) ex duobus quidem oritur, alterum est ipse ordo: alterum vero magni-

15 liber: contestus.

4 : — ? 8 : — ? cf. Met. I, 2; 982b 4 et Bonitz h. l. 13 : 50b 21. 18 : — ? 20 : — ? 24 : 50b 24—34. 29—35 : — ? Locus clarissimus de media parte conformanda. 38 : 50b 36.

tudo. idcirco animal perexiguum non dicitur pulchrum in relatione ad individua sui generis. Eadem enim ratio videtur esse in hoc ipsius poeticae orationis atque doctrinae demonstrativae. nempe si brevis fuerit speculatio tempore, eius intelligentia non erit optima. Identidem si longior fuerit iusto eademque ratione: quoniam a consideratione contemplantis facile elabitur et oblivioni discipulus eam tradit. Eadem enim est huius rei ratio, quae est in spectatione alicuius sensibilis: videlicet quod tunc exacte spectatur ipsum spectabile, cum inter ipsum et spectantem modica intercedit distantia, non autem maxime distans neque cum ex maxime proxima. Idem enim contingit in sermonibus poeticis seu fabulis, quod in ipsis disciplinis. nam si carmen perbreve fuerit, non poterit perficere partes laudis. et si in longum protrahatur, non poterunt eius partes servari memoriaque teneri: ita ut posterioribus partibus iam auditis priores sint oblivioni traditae. Orationes vero rhetoricae, quibus fiunt obiurgationes, nullam habent natura terminatam magnitudinem. et ob id fuerunt coacti homines mensurare tempus obiurgationis, quae inter adversarios occurrebat, vel vase aqueo Clepsydre vocato more Graecorum, cum tantum signa quaerebant, vel partibus dierum, ut Arabes utebantur, cum propositum eorum in suis obiurgationibus essent res persuasibiles exteriores. Idcirco si tragoedia ageret de obiurgatione vel convitiis et contentione, tunc oporteret mensurare tempus orationis contentiosae per instrumentum aquae vel per alia horologia. Verum cum non res ita se habeat, ideo oportet ipsam poeticam artem habere terminum naturalem, ut res se habet de naturalibus magnitudinibus, quae rebus ipsis insunt. Nam quemadmodum genita ipsa, si tempore generationis non impediantur ab incommoda fortuna, habebunt naturaliter terminatam ac decentem magnitudinem, ita in fabulis poeticis evenire debet: praesertim in duobus illis imitationis generibus, videlicet in quo fit mutatio de contrario in contrarium, vel in quo idemmet imitamur, praeter hoc, quod fiat transitus ad contrarium.

20. Inquit. Quod maxime etiam delectat in constitutione carminis Poesis, est, ne enarratio multarum rerum, quae uni rei determinatae accidunt, de qua poema quaeritur, in longum protrahatur; uni namque rei multa accidunt multaeque actiones contingunt.

21. Inquit. Videntur peccasse omnes poetae, qui hoc genus poematis confixere, cum de re aliqua in aliam rem transilirent unumque propositum non inducerent, praeter Homerum. Tu autem invenies hoc in poematibus Arabum, praesertim in quibus quaeritur laudatio: videlicet quod quando quaerunt enarrare aliqua de ipso laudabili, ut gratia

33 quo? 35 liber: queritur.

2 : — ? 4—15 : 50b 38—51a 5. 15—19 : 51a 7—9. 24—32 : partim non inveniuntur, partim ad 51a 9—15 referuntur. 33 : (51a 15—19). 37 : 51a 19—29.

exempli librum vel gladium, maxime immorantur laborantque in eius imitatione et deviant declinantque ab enarratione illius, qui laudatur. oportet denique ut ars ipsa imitetur naturam: ut scilicet quidquid agat, propter unum propositum unicumque finem id agat. Sic igitur oportet unius unam esse imitationem unumque propositum: et ut eius partes habeant terminatam definitionem habeantque principium, medium et finem sitque ipsum medium praestantius illis. Nam res habentes esse ordinatum atque quadam harmonia constitutum, si ille ordo illaque series harmonica defecerint ab eis, deficiet quoque ab eisdem sua propria actio.

22. Inquit. Nec latet, quod propositum sermonum poeticorum non est, ut fiat imitatio rerum falsarum fictarum in eis. haec enim non est poetae actio, ut quae vocantur figmenta et historiae. ut quod in libro Heracleidae vel Theseidae (Arabice Chelilae et Dhemenae). Sed poeta loquitur de rebus, quae sunt vel possunt esse. de his enim quaeritur, scilicet ut eas fugiamus vel insectemur et quaeramus, vel ut ipsa imitatio et confictio illis conveniat correspondeatque, ut in differentiis ipsius imitationis dictum est. At officium figmentorum professoris atque historicorum differt ab officio poetarum, quamvis illi exerceant illas fictiones et rerum novitates, historias atque simulationes metrico sermone. Nam licet uterque horum conveniat in metro, tamen alter eorum perficit officium suum, quod proposuit per ipsam fabulam, quamvis non fiat metro, et est videlicet illa intelligentia, quam adipiscimur ex illis historiis fictis et simulatis. Poeta vero non adipiscitur perfecte propositum suum circa rerum imitationem nisi metro. historicus ergo atque fictionum professor fingit varias res singulares, quae non sunt ullo pacto, illisque nomina imponit: poeta vero nomina imponit rebus, quae sunt, et nonnunquam de universalibus loquitur. Quo fit ut Poesis sit propinquior philosophiae, quam quae fictiones profitetur. Id vero, quod dicit Aristoteles hic, est iuxta Graecorum consuetudinem de poesi, videtur enim, quod id, quod est naturale, insit †gentibus naturalibus.

23. Inquit. Quod maxime in tragoedia quaeritur, est ut ea quae imitamur sint, non quae habeant nomina ficta. quoniam laus vertitur in promovendo ad actiones voluntarias. res autem possibiles potius persuadentur atque creduntur, ut est ipsa poetica certitudo seu verificatio, quae animam promovet ad inquirendum vel fugiendum. Rebus vero, quae non sunt, raro imponuntur neque finguntur nomina in ipsa Tragoedia. Ille praeterea modus imitandi, quamvis summopere conducat ob relationem et proportionem actionum illius rei

32 In margine: aliter veritatibus.

3 : — ? 5 : 51 a 30—33. 7 : v. supra 362, 29. 8 : 51 a 33—34. 11 : — ? 15 : 51 a 37. 16 : — ? 19—25 : (51 b 1—9). 28 : 51 b 6. 29 : 51 b 5. 34 : (51 b 12, 15). 36 : 51 b 16. 39 : 51 b 15. 40 : — ?

simulatae atque fictae eiusdemque passionum ad res, quae sunt, tamen non debet quaeri vel in usu poni in ipsa Tragoedia, quae est ars laudandi. Quoniam is modus imitandi ac fingendi non congruit omnibus naturis: immo plures hominum eum irrident molesteque ferunt. Ex his igitur patet poetam esse poetam per usum fabularum atque metrorum, prout habet vim imitandi: ipse autem circa imitationem versatur rerum existentium, quae a voluntate pendent atque arbitrio. Nec suum est imitari tantum ea quae sunt, verum et quae arbitratur posse esse. ob hoc enim poeta est: nec propterea a poeta discedit imitando res, quae sunt. nihil enim prohibet ea extitisse eo modo, quo nunc sunt. Ceterum non oportet praestantissimum poetam perficere imitationem per exteriora, hoc est histrionem esse per gestus corporis atque vultus. hoc enim pseudopoetae ac falsi et ficti efficiunt: qui videlicet volunt apparere poetae, cum non sint. neque probati poetae id agunt, nisi cum quaerunt certare contra usum falsorum poetarum. sed si contra optimos poetas certant, id nullo modo agunt. Praestantissimi tamen poetae quandoque coguntur uti episodiis in ipsa fabula, hoc est introductione rerum exteriorum, id est histrionum gratia, atque alienarum ipsi fabulae. non enim semper fit imitatio rerum perfectarum, quas possumus perfecte imitari, sed rerum etiam imperfectarum, quae difficile confinguntur in oratione. et ideo in earum imitatione introducuntur res exteriores, praesertim cum quaeritur imitari ipsas sententias, quarum imitatio est perdifficilis, cum non sint actiones neque substantiae. Admiscentur praeterea nonnunquam atque introducuntur huiuscemodi res extrinsecae, et est id quod vocatur histrio et gestus vultus in poeticis imitationibus, ac si casu vel fortuna praeter aliquod propositum provenire appareant: habebuntque admirandam actionem, cum ea, quae a fortuna proficiscuntur, admirationem prae se ferant.

24. Inquit. Plures quidem fabulae pollent atque praestant in imitatione simplici, non divisa in varios modos: plures vero aliae praestant in divisione modorum corporis similis atque imitationis. etenim ut res se habet in imitatione, ita in actionibus, quem ad modum ergo actionum alia efficitur unico simplici actu (id est una continua absque peripetia), alia vero uno actu composito et implexo, ita etiam de imitatione est dicendum. Est autem simplex imitatio, in qua agitur alterum duorum generum imitationis, videlicet vel quod vocatur

8 arbitrantur? 13 liber: pseudi poetae. 36 In margine: Inquit interpres. Contrarium videtur innuere Aristoteles, cum dicit in simplici nullum horum reperiri, in implexa vero vel agnitionem vel peripetiam vel utramque (lib. utraque) reperiri.

4 : (51b 25). 5 : 51b 27—29. 8 : 51a 36, 60b 10. 8—11 : 51b 29—32. 11 : — ? (62a 11?) 17 : 51b 36. 19 : 60a 27. 28 : 52a 4—10. 30 : — ? 32—36 : 52a 12—18.

peripetia, vel quod vocatur agnitio, id est demonstrationis assumptio. Implexa vero imitatio est illa, in qua utrumque genus simul reperitur. nempe cum incoeperit quis a peripetia, mox transferatur ab ea ad agnitionem: vel ab hac incoeperit, deinde ex ea ad peripetiam transferatur. convenientius tamen est primo incipere a peripetia, mox transcendere ad agnitionem. nam multum interest, si quis incipiat primo a peripetia, deinde mutetur ad agnitionem vel econtra ab agnitione ad peripetiam.

25. Inquit. Intelligo per peripetiam imitationem contrarii propositi in laudando prius per id, quo animus ab eo recedat retrahaturve ab illo: mox mutetur transferaturque ab hoc ad imitationem ipsiusmet laudabilis. ut si quis voluerit felicitatem vel felices confingere, incipiat prius infelicitatem infelicesque confingere, mox ad imitationem felicitatis et felicium se transferat: hoc autem per id, quod est contrarium imitationi infelicium iam factae. Agnitio vero est mera imitatio rei tantum.

26. Inquit. Pulcherrima autem fit agnitio, si cum peripetia admisceatur.

27. Inquit. Fiunt insuper agnitio et peripetia de inanimatis atque animatis: non quatenus per id quaeratur aliquid agi vel dimitti, sed imitationis tantum ratione, hoc est propter convenientiam aliquam. et hoc quidem genus agnitionis, quod dixit, est quod maxime in Arabum poematibus praevalet, videlicet agnitio et peripetia, quae de inanimatis fiunt. Cumque duo †tempora poematis utrumque genus imitationis amplectatur, sunt maxime pulchra.

28. Inquit. Agnitio humana atque peripetia fiunt pro inquirenda aliqua re vel recusanda fugiendave. huiusmodi autem agnitio quandoque ad misericordiam, quandoque ad metum animum parabit. hoc autem est, quod in Tragoedia desideratur: nempe actiones pulchras laudare, turpes vero detestari.

29. Inquit. Partes igitur tragoediae seu fabulae sunt hae duae, quas definivimus. Tertia superest: nempe quae animi affectiones vel perturbationes parit. Intelligo per affectiones misericordiam et metum atque dolorem. Id autem fit enarratione cruciatus calamitatumve atque infortuniorum mortalibus evenientium. Haec enim misericordiam atque metum inducunt, quae sunt potissima pars, qua ad affectiones hortamur. quae quidem sunt propositum ipsius Tragoediae apud Aristotelem.

14 lib.: infelicium. 24 In margine: a. l. versus.

9 : (52a 22). 15 : 52a 29. 17 : 52a 32. 19 : 52a 34. 26 : 52 a 25, 38—b 1. 31—37 : 52b 9—13. 37 : 52b 1.

De tragoediae partibus quantis: unde ducatur eius opus. De Moribus, Agnitione, Episodiis, Connexione Solutioneque fabulae, quatuor Tragoediarum generibus et Affectionibus seu Sententiis. Cap. 6.

30. Inquit. Tragoediae partes, prout ad qualitatem attinent, iam superius exposuimus: sed, ut ad quantitatem spectant, nunc dicendum est. Circa hoc autem ipse Aristoteles memorat quasdam partes proprias carminibus Graecorum. Quae vero in Arabum poematibus reperiuntur sunt tres. Prima est quae se habet apud eos in Rhetorica oratione ut exordium, in quo enarrantur excitationes quaedam. secunda est laudatio vel episodium. tertia quae est veluti id quod in oratione rhetorica se habet ut conclusio (quam exodum vocant). Haec autem pars ultimum apud eos erat vel expeditio, id est quaerere licentiam ab illo, qui laudatur, aut extollere poema, quod dixerat. et prima pars est notior et magis publica hac ultima. Nonnunquam tamen afferunt laudem sine prologo. Et postquam explevit Aristoteles explicare partes poematis, quae erant apud eos, dixit: partes igitur Tragoediae, quae secundum qualitatem et quae secundum quantitatem, iam a nobis dictae sunt. Verum ex quibus locis possit Tragoedia constitui, post hoc dicetur hocque supra dictis addemus.

31. Inquit. Quoniam igitur Tragoediae compositio (ut dictum iam est) non debet esse ex simplici imitatione, sed ex diversis generibus implexa, videlicet ex generibus agnitionis et generibus peripetiae ac terribilium miserabilium affectionum animi imitatrix, quae scilicet animum movet: quoniam laudes pulcherrimae, quae ad virtutem hortantur, debent constare ex imitatione virtutum atque imitatione rerum timorem incutientium doloremque inferentium, quibus homo tristetur, ut est adversa fortuna, in quam incidit, quia est virtutum expers omnino. his enim vehementer anima commovetur ad virtutes assequendas. Nam si poeta ab imitatione virtutis ad imitationem vitii aut viri probi ad improbum se transfert, nihil quidem habet, quod hominem hortetur excitetve ad probitates agendas: cum ex hoc nec amor neque timor de necessitate nobis inferantur. In tragicis autem fabulis oportet inveniri harum duarum rerum contrarium. quod quidem fiet, si ex imitatione virtutum ad imitationem adversae fortunae, in quam probi lapsi sint, se transferat vel ex hoc ad proborum imitationem. haec enim imitatio animum ad misericordiam incitat eamque perterrefacit, ut ad virtutes recipiendas paretur. Huius autem generis imitationis plures invenies historias Legis modo nunc dicto, cum illae historiae Tragicae actionem indicent: ut est narratio Legis de Joseph et suis fratribus et aliis narrationibus, quae increpationes seu correptiones vocantur.

32. Inquit. Oritur autem misericordia, si enarretur adversam for-

5 : 52 b 14. 13 : — ? 17 : 52 b 25. 19 : 52 b 28. 21—23 : 52 b 31—33. 24—37 : (52 b 34—53 a 12). 43 : 53 a 4.

tunam invasisse quempiam, qui id nullo pacto merebatur. Metus vero ex huiuscemodi enarratione quoque oritur, propterea quia fingitur posse accidere nocumentum ei, qui est illi inferior in hoc, id est in animo audientis, cum ei magis hoc debeatur. Maeror vero atque misericordia ex his oriuntur, propterea quod imaginari potest ea posse accidere illi, qui ea non meretur. At cum virtutes seorsum narrantur, non incutietur in animum terror ex earum privatione neque misericordia vel amor. Si quis igitur voluerit ad virtutem quempiam hortari, debet partem suae imitationis imponere rebus, quae dolorem metum misericordiamve incutiunt.

33. Inquit. Idcirco pulchra Tragoedia quidem est, quae ex huiusmodi compositione constat: hoc est ex virtutibus et rebus tristantibus terrificisque misericordiam quoque afferentibus.

34. Inquit. Quam ob rem illi quidem decipiuntur, qui in Tragoediis suis illud observant, videlicet ut plures partes Tragoediae in infelicitatem terminentur.

35. Inquit. Argumento vero illud sit maximo, scilicet hoc insequi Tragoediam: quoniam in scenis introducuntur, quae iracundiam provocent. Est autem iracundia dolor cum vehementi appetitu ad vindictam. ergo narrare infortunia et calamitates, in quas viri probi et praestantes prolapsi sunt, maiorem inquam inferent illis erga illos amorem: timorem vero si virtutibus careant. Aliqui tamen introducunt in illis scenis tragicis imitationem vitiorum et scelerum simul cum rebus laudabilibus, cum habeant quid peripetiae. Verum vituperare vitia est potius Comoediae proprium quam Tragoediae. idcirco non debet eorum imitatio principaliter esse in Tragoediis, sed propter peripetiam. Si igitur in Tragica fabula enarrentur vitia, narrabuntur quoque in ea procul dubio amici, qui effecti sunt, inimicive invicem. Tragoediae vero ex enarratione actionum affinium atque amicorum consistunt. sed de inimico inimici aut de amico amici nec in Tragoedia neque in comoedia fit mentio: cum ibi nec amicus neque inimicus existat.

36. Inquit. Fabulae autem terrificae atque tristitiam afferentes debent visu approbari: hoc est, ut sint verae certaeque. nam si essent dubiae vel ex dubia origine orirentur, non fungerentur munere suo sibi proposito. nam id, quod homo non certe scit, non timet neque tristatur ab eo. hoc autem, quod Aristoteles dixit, est causa, ob quam multi, qui non redduntur certiores manifestis, sunt vilissimi viri atque vitiosi. Homines etenim natura moventur altera duarum rationum: nempe vel demonstrativa vel non demonstrativa.

---

1 liber: ullo. 33 In margine (nisi forte — id quod verisimilius est — ad priorem locum pertinet): Interpres. Credo Averroem non intellexisse hunc locum.

2: Rhet. 2, 5 p. 1382b 26, 1383a 9. 11: 53a 12—17, 21. 14: (53a 24—26). 17: (—?). 19: (Rhet. 2, 2 p. 1378a 31). 27: (53b 15). 33: 55a 22.

hoc autem genus hominum vilissimum a nulla harum duarum rationum movetur.

37. Inquit. Sunt aliqui poetae, qui in *Tragoedias introducunt aliquid portentosum atque monstrosum dumtaxat, etsi nec terrificum neque contristans fuerit. tu autem invenies plura huius generis in scripturis Legis. in poematibus vero Arabum laudes virtutum non invenies. verum hac nostra aetate reperiuntur in statutis atque sermonibus scriptis.

38. Inquit. Haec actio, scilicet portentosa, aliena prorsus est a Tragoedia. Quippe quoniam non quaecunque delectatio contigerit a Tragoedia quaerenda est, sed quae est ei propria delectatio.

39. Inquit. Manifestum est, quaenam sint res, quae delectationes afferunt in suis imitationibus praeter hoc, quod sequatur ex hoc dolor vel metus. Quae vero cum delectatione misericordiam et metum afferant, facile quis id considerare poterit, si quaerat, quae nam sint res molestae ex adversis fortunis et calamitatibus contingentibus, ex quibus nec maximum dolorem neque timorem assequatur: ut sunt ea, quae inter amicos invicem ex infortuniis et offensionibus ex suo arbitrio accidunt; non ut quae inter inimicos invicem eveniunt. Nemo enim tristatur neque miseretur mali accidentis inimico ab alio inimico suo, ut tristatur et timet ob malum illatum ab amico suo in amicum suum. Verum licet ex hoc quis dolore afficiatur, non tamen eo dolore, quo afficitur a malo illato ab altero amico in alterum amicum veluti si frater fratrem vel filius patrem aut pater filium necet. Et ob hoc illa historia, in qua narratur praeceptum fuisse Abraae, ut iugularet filium suum, videtur esse maxime metum atque maerorem afferens.

40. Inquit. Tragoedia debet esse circa actiones laudabiles, quae voluntate et scientia fiunt. quoniam rerum aliae nec per notitiam fiunt neque per voluntatem, aliae vero per notitiam, non per voluntatem, aut per voluntatem et non per cognitionem. itaque quoque actionum aliae fiunt a sciente, aliae ab ignorante. Quaecunque autem actio absque cognitione et voluntate evenerit, non introducitur in Tragoediam. Identidem si ab incognito aliquo proveniat: nam tunc potius inter mendacia vel scelerosa introducetur quam inter fabulas poeticas. nec oportet illam imitari: verum optima atque pulcherrima est indicatio, quae ab actionibus, quas non dubitamus evenisse, ex voluntate et scientia atque rebus scitis sumitur.

41. Inquit. Igitur tum quales esse debeant contextus rerum, ex quibus fabulae poeticae constant, et quo pacto constent, satis iam dictum est.

---

3 In margine: spectaculum Tragoediae.

---

3 : 53b 8. 9 : 53b 9—11. 12—25 : 53b 14—22. 28 : (— ?). 29—32 : 53b 27—36. 39 : 54a 14.

42. De moribus vero, quos in Tragoedia imitamur, qualesnam esse debeant, nunc tractandum est. Dicamus ergo, quod mores confecti in optima Tragoedia, videlicet quae delectat auditores, sunt quatuor genere. Unum idque primum genus morum est, cum illi mores probitatem prae se ferunt optimique sunt in eo laudato. nam quod in animo imprimitur, est imitatio rerum verarum illi laudato inhaerentium. in unoquoque genere aliquod inest bonum seu probum, etsi sint res improbae. Secundo loco sequitur, ut illi mores conveniant illi, qui laudatur, congruantque. multi etenim sunt mores, qui mulieri convenirent, non convenient viro. Tertio, ut illi mores in eo reperti maxime convenientes atque similes reperiantur in eo, quantum possibile fuerit. Quarto ut sint medii inter extrema aequalique tenore procedant. Hoc autem ideo fit, quia improbis moribus non laudatur aliquis neque moribus non convenientibus illi, licet sint probi. itidem neque probis moribus, si non perfectissimo modo, quo fingi poterunt, confingantur, vel si sufficientes non fuerint. Morum autem qui probi sunt praestantemque probitatem indicant, quidam sunt ita re vera, quidam vero apparenter: alii vero sunt his duobus similes. Optimi vero mores vel sunt veri vel vero similes, vel apparentes (seu famosi) vel apparentibus et famosis similes: omnesque hi in Tragoediam introducuntur.

43. Inquit. Oportet fabularum solutiones atque carminum indicare ea, quae praeenarrata fuerunt de moribus in ipsis, qui laudati fuerunt, sicut fit in conclusionibus Rhetoricae, et ut poeta nihil afferat in fabula sua ex imitationibus, quae extra Tragoediam sunt, nisi quantum oratores solent de hoc afferre: ita ut nec de excessu vel defectu aut aliquo artificioso Tragoediae altero accusetur.

44. Inquit. Tragoediae sunt imitatio rerum praestantissimarum. et quemadmodum excellentissimus pictor pingit hominem ut est in se, ita ut iracundos desidesque et segnes depingit, quamvis ii sint animae affectus: ita oportet etiam poetam imitari omnia, ut sunt, tum mores, tum etiam animi affectiones, ut Homerus de fortitudine Achillis dixit.

45. Inquit. Oportet poetam uti in sua imitatione rebus consuetis imitari nec transcendat in hoc limites usus et Poesis.

46. Inquit. Multa sunt genera indicationum, quae hoc ordine procedunt, videlicet ipsa imitatio, quae recto ordine et secundum artem procedit. nam quaedam imitantur res sensatas per res sensatas, quae solent ambiguitatem afferre illi, qui eas inspicit, et inducunt hominem, ut credat ipsas esse easdem, propterea quod communicant

---

1 In margine: repetitum legentium commoditatis causa: De moribus. 16 lib.: poterint.

---

1 : 54a 16. 4 : 54a 17. 8 : 54a 22. 10 : 54a 24. 12 : 54a 26. 17 : 54a 33. 22 : 54a 37—b 8. 28 : 54b 8—14. 34 : 54b 15—18. 36 : (54b 19—28).

in affectibus sensibilibus: ut qui aliqua astra cancro similant, aliqua alia serpenti, quia propter figuram potest aliquis suspicari et imaginari esse eadem, quia communicant in re sensibili. et maior pars imitationum Arabum sunt huius generis et ideo literae similitudinis apud eos dubietatem afferunt. Et quanto fictores magis accedunt ad dubietatem afferendam, tanto videntur esse praestantiores in fingendo. econtra vero, quanto minus ambiguitatem afferunt, minus praestant in imitando, quae quidem imitationes remotae debent omnino omitti. Sunt et quaedam alia, quae imitantur res denominatas ac descriptas per quasdam res sensatas, quando illae res sensatae habent actiones proportionatas et correspondentes illis denominationibus seu epithetis, ita ut existimetur eas esse easdem. ut cum dicunt gratiam esse monile quoddam, vel est torques, et quod beneficentia est ligamen quoddam, ut dicebat alibi in quodam suo carmine. et huius generis multa reperiuntur carmina apud Arabes, sed quae non correspondent neque sunt proportionata vel similia, ut diximus, debent omnino relinqui. hoc tamen genus multum reperitur in poematibus recentiorum. At quemadmodum ea, quae sunt difficilia inventu, debent relinqui, ita etiam imitatio rei excellentis et nobilis per vilem debet omitti: immo imitatio debet fieri per praestantiora.

47. Inquit. Extat adhuc aliud genus fabularum, videlicet quae potius ad veritatem et persuasionem accedunt quam ad imitationem et fictionem et ad exempla Rhetorica magis accedunt quam imitationem poeticam. huiusque generis carmina multa sunt Arabum.

48. Inquit. Tertium autem genus imitationis est illud, quod per reminiscentiam fit: ut cum poeta affert aliquid, quo in animum aliquid aliud revocat, ut si quis scripturam alicuius inspexerit, propter quam recordatur de eo et dolet de ipso, si est mortuus, aut desiderio afficitur, si vivit. hoc etiam genus carminum reperitur apud Arabes saepe. huic proximus est usus Arabum ex recordatione amicorum in imitatione, quos re imitata habent. Multifariam tamen Arabes utuntur assimilatione, modique ipsius usus sunt plures. et ideo aestimatur, quod sit ex locis poeticis propriis amor mulierum, attinet tamen quandoque ad misericordiam.

49. Inquit. Quartum genus imitationis est memorare aliquod individuum simile alteri eiusdem generis. Talis autem similitudo non erit, nisi vel in more vel in forma, ut si quis dixerit: venit ille, qui est similis Iosepho. Declaratio autem per simile est contraria imitationi. imitatio enim est ambiguitatis suspicio ac intromissio. Declaratio vero similitudinis inter duo est verificare, quod datur simile, et is est finis convenientiae ipsius similitudinis, videlicet cum dicitur: talis est similis tali.

34 liber sit: nescio an fit sit legendum.

14 : — ? 22 : (55a 16). 26 : 54b 37—55a 3. 36 : 55a 4—12.

50. Inquit. Quintum genus est, quod per paralogismum fit: quo utuntur Sophistae poetae, et est multum in usu apud Arabes, ut cum dicitur: hostes nostros cornibus percutiemus, licet essent Sol et Luna. hoc enim totum est falsum, quod plurimum reperitur in fabulis poeticis Arabum.

51. Datur et alius locus sextus apud Arabes famosus, videlicet ponere in suis orationibus rhetoricis atque responsis res inanimatas vice rationalium, cum habeant aliquas affectiones similes ratiocinio: ut est sermo poetae de umbris et alia id genus, quae multa sunt in eorum poematibus, et ipse Aristoteles fecit mentionem de hoc loco, et dixit Homerum habere eum multum in usu.

52. Inquit. Optima agnitio et peripetia fiunt de actionibus voluntariis, et maior pars huius generis agnitionis consistit in laude actionum praestantissimarum et vituperio improbarum, et haec ratio fit in Arabum poematibus.

53. Inquit. Optima constructio fabulae poeticae atque perfecta eius constitutio fit, cum poeta devenerit ad describendam aliquam rem vel aliquem casum accidentem seu rei adventum, ita ut auditores putent id manifestissimum atque oculis sensatum sit. et hoc in fabulis poetarum Arabum satis reperitur. Verum hoc genus imitationis apud Arabes vel est de actionibus incontinentium vel de eo, cuius convenientia similitudinis tantum praecessit. nam multa sunt Arabum carmina seu fabulae, quae de luxu venereo tractant. multa adhuc, in quibus nihil aliud quaeritur quam convenientia similitudinis vel imitationis. Reperiturque hoc etiam in Graecorum carminibus, cum res occurrentes, ut sunt bella, describunt vel aliqua alia, quibus homines laudantur. optimum autem hoc genus imitationis est, cum primo statim substituuntur omnia, quae describere proponit, mox illis superaddat et constituat illas tres partes poematis iam dictas, videlicet imitationem numerum harmoniam.

54. Inquit. In dramatibus itaque sive actibus agnitio ipsa est res longa valde. et videtur innuere per hoc multas esse agnitiones variasque verificationes habere.

55. Inquit. Universa Tragoedia partim connexione partium eius continetur, partim solutione. Videtur autem quod id, quod maxime similatur connexioni, quae in eorum carminibus reperitur, est illa pars, quae apud Arabes nexus appellatur. Tandem prologus carminis in partibus Tragoediae et solutio est distinctio illarum duarum partium, scilicet alterius ab altera, videlicet quod seorsum afferuntur.

56. Inquit. Quatuor autem sunt genera Tragoediae, quorum tria sunt simplicia, quae iam dicta sunt antea, videlicet peripetia agnitio atque patheticum genus seu affectitium, ut cum fit sermo de his,

1 : 55a 12—15. 10 : — ? 12 : (55a 16). 16 : 55a 22. 27 : 55a 34—b 2. 31 : (55b 6—12). 34 : 55b 24. 37 : (55b 25). 41 : (55b 32).

qui apud inferos sunt, ut Aiaces Ixionesque. Quartum est, quod ex his constat sive ex tribus sive ex duobus eorum. Scias tamen, quod imitationes horum quatuor generum Tragoediarum alicuius actionis voluntariae ac excellentis non reperiuntur in fabulis Arabum poeticis.

57. Inquit. Aliqui poetae praestant in carminibus longioribus suae orationis: aliqui vero et fabulis atque carminibus brevioribus; cuius rei causa est, quia cum optimus poeta describat omnia secundum proprietates suas atque secundum suum esse, haec autem sunt diversa et multitudine et virtute uniuscuiusque rei descriptae: idcirco optima imitatio non debet transcendere proprietates rei neque eius essentiam. Sunt tamen aliqui, qui assueti sunt vel a natura sunt proni ad imitandas res, quae paucas habent proprietates. hi autem praestant in poematibus brevibus, non autem in carminibus longioribus. Aliqui vero alii econtra, scilicet qui carmina longiora efficiunt. hi autem sunt assueti tractare de rebus habentibus multas proprietates vel sunt a natura sua proni eas imitari vel utrumque horum una concurrunt.

58. Inquit. Aliquae sunt imitationes et res, quae ad carmina longiora, aliqua vero ad breviora. aliquando etiam metrum respondet rei et non imitationi: nonnunquam vero econtra, quandoque neutro eorum correspondet. Invenire autem horum exempla in carminibus Arabum est perdifficile vel impossibile.

59. Inquit. Accedunt quidem ad eas res, quibus poemata constant, annectunturque aliquae res exteriores, quae sunt scilicet affectus illi qui in voce poetae existunt eiusque figura, ut iam dictum est. Maxime vero hoc in usu est apud poetas, qui fabulas ex genere pathetico seu affectivo fingunt, ut qui de inferis tractant. sed quia iam locuti sumus de his, quae poemata constituunt, prout sunt eorum verae partes, nunc consentaneum est quoque de his tractare. Dicamus ergo has actiones summatim esse, quae affectiones indicant. Et ideo, cum hae adstruuntur, debent cum illis orationibus adstrui, quoniam hae ostendunt affectionem illam, quam quaerimus in oratione affirmare et constituere, ac si iam evenerit et verificata fuerit: sed iam in libris rhetoricis actum est de sententiis patheticis rhetoricis de generibusque affectionum, quas hae orationes afferunt. et ideo huiscemodi actiones magis attinent ad librum Rhetoricorum quam ad librum Poeticae. Affectiones autem seu perturbationes, quae orationem rhetoricam aut poeticam adstruunt, sunt timor iracundia misericordia exaggeratio reliquaque iam in libro Rhetoricorum enumerata. Constat autem, quod, quemadmodum dantur sermones has perturbationes afferentes, ita dantur aliqui gestus et figurae ipsius

20 liber: respondent.

6 : — ? 19 : — ? 24 : — ? 38 : 56a 36. 41 : — ?

dicentis, quae ostendunt atque affirmant ea, quae has perturbationes afferunt, et quod haec eveniant ad eventum rerum, quae ab illis afficiuntur, afficiaturque atque perturbetur, qui ea aspicit. huiuscemodi vero figurae et gestus, si fiant in fabula, debent quidem fieri cum sermonibus afficientibus poeticis, et hoc sive exaggerando sive diminuendo vel per aliqua miserabilia vel terrifica, cum haec ad artem Histrionicam et Tragicam attineant, ut de sermonibus affectivis iam dictum est. Fiunt tamen haec in sermonibus afficientibus, qui non sunt veri, hoc est quod non sunt manifestae similitudinis. Quoniam qui sunt manifestae similitudinis et correspondent proposito et sunt veri, non indigent his rebus exterioribus: quoniam tunc essent potius adscribendi vituperio et dementiae, cum haec fiant cum his sermonibus, quibus nequeunt propositum assequi, nisi haec illis annectantur, et sunt sermones mali. et ideo poeta non debet eis uti, cum tantum abest, ut non vere †liceant, sed perturbant dictionem et dicentem, qui optimus habetur histrio in mensurandis ponderandisque rebus.

60. Inquit. Satis est poetae, si ex his figuris utatur illis, quae sunt propriae unicuique generi orationum, videlicet si necesse sit in his histrionem se constituere. Intelligo autem per figuras orationis figuram orationis enunciativae atque interrogativae nec non imperativae atque optativae seu deprecativae. quoniam figura enunciantis differt a figura interrogantis. itidem figura imperantis est alia a figura deprecantis et optantis. ex rebus ergo exterioribus aliis satis est poetae uti figuris sermonum. nam cum soleant dementiam afferre sermonibus poeticis, non debent adscribi parti artis Poeticae, sed aliae eius artis parti.

De Dictione ac eius partibus et ipsius virtute. De imitatione Heroica et peccatis ac defensionibus Poetarum.
Cap. 7.

61. Inquit. Elementa sermonum, in quae resolvitur omnis locutio poematum Graecorum, sunt septem, videlicet syllaba coniunctio nomen verbum articulus casus oratio. Elementa autem syllabarum sunt indivisibiles. intelligo per elementa ipsas litteras: sed non quidem omnes, sed illa tantum, ex qua suapte natura constitui possunt syllabae: quae quidem sunt res simpliciores, quibus loqui possit. nam voces ferarum indivisibiles quidem sunt in litteras: ideoque dicimus nullam vocem earum ex litteris constare neque aliquam partem vocis earum esse litteram. Vocis autem quae est

15 In margine: a. l. sint superflua. 25 liber: clementiam. 32 I. m.: Ait interpres. Aristoteles dixit octo et addit elementum et ita legendum est apud Averroem, ut ex expositione patet.

18 : 56b 8 26 : 56b 19. 31 : 56b 20. 33 : 56b 22. 39 : 56b 25.

syllaba, partes sunt litera vocalis aut litera muta. Vocalis est quae resultat ex percussione, quae fit ex labiis aut dentibus vel aliis partibus gutturis, et est vox composita inseparabilis: intelligo per inseparabilem, quae non potest separari in locutione a litera muta. Vocantur autem ipsae vocales apud Arabes motus id est puncta. et vocantur etiam literae adhaesionis et literae aspirationis. Litera vero muta est, quae cum adiectione literae vocalis existit: hoc est quae habet vocem intelligibilem seu audibilem, si cum muta complicetur. Muta quoque exaudibilis est sonumque reddit adiuncta his, quae aliquam vocem reddunt ut Ab. Hae quoque literae differunt inter se figura oris locisque, quibus inhaerent et a quibus proficiscuntur, longitudine atque brevitate, aspiratione ac tenuitate, et eandem omnibus extremis vocum atque mediis, quae inter ipsas sunt, quae ad metra et harmonias pertinent. Syllaba autem est vox nihil penitus significans, composita ex muta ac ex vocali litera. nam g et r, scilicet gr, non possumus seorsum loqui, sed oritur vox ex harum aggregato cum vocali, ut gra. et ut verbo dicam, vox ex duobus quidem oritur: nempe ex ea re, quae se habet ut materia et vocatur muta litera, et in lingua nostra vocantur mutationes et literae contextus ac tenuitatis. Coniunctio autem est vox composita, minime per se significans seorsumque: ut est apud Arabes litera vau, et dictio item tandem sunt illae literae, quae locutionem colligant inter se: et hoc apud Arabes efficiunt etiam in initio orationis locatae, ut certe, vel ut sunt literae condicionales, quae annexionem et coniunctionem significant ut vel, tunc, cum, id est, quando. Articulus vero (seu distinctio Arabice) est quoque vox composita minime significans per se. et ut summatim dicam, est id, quod distinguit orationem ab oratione, ut an sed, et literae adversativae, ut at certe etc., quae tum in initio orationis tum in fine locari possunt. Intelligo autem, cum dicit vocem non significativam per se, voces simplices, quae significant in compositione id est cum componuntur cum aliis et sunt literae rerum, non literae alphabeti. Quoniam voces per se significantes, quae ex pluribus constant vocibus, sunt trisyllabae vel quadrisyllabae et aliae id genus figurarum, quae quidem sunt nomen et verbum. Nomen quidem est vox vel dictio per se significans aliquid sine tempore, cuius nulla separata partem rei significat. et hoc tam simplicibus nominibus quam compositis commune est. Nam nominum compositorum ex duobus nominibus usus non est, ut quaelibet pars eorum significet partem rei significatae per aggregatum illorum duorum nominum, ut servus regis, si ita contingat aliquem vocari.

---

4 liber: quod. 13 : eandem? 26 In margine: Ait interpres. Non eodem tenore capitur apud Arabes ut apud Graecos ideoque non penitus conveniunt.

---

1 : — ? 6 : 56b 28. 10 : 56b 31. 14 : 56b 34. 20 : 56b 38. 25 : 57a 6. 35 : 57a 10. 41 : 57a 14.

62. Verbum autem est vox vel dictio significativa alicuius rei, cuius nulla per se pars separata significat partem illius rei: ut de partibus nominis dictum est. Differt autem verbum a nomine per hoc, quod significat tempus rei significatae, nam homo et album non significant cum tempore, sed ivit vel ibit significant tempus praeteritum et futurum. Casus vero tum ad nomen, tum ad verbum, tum ad orationem pertinent. Nomen autem cadens seu obliquum est nomen relatum alicui ut sunt apud Arabes nomina punctuata cum parhach vel cum chirec. oratio vero obliqua est veluti per modum imperandi aut interrogandi. Obliquum autem verbum est, quod praeteritum vel futurum significat: rectum vero, quod praesens significat: hoc autem est proprium idiomati eorum. Oratio autem est sermo compositus significativus, cuius quaelibet pars per se significat. Duobus vero modis una dicitur oratio: aut enim significans unum per se est, ut hic homo est animal: aut est una propter coniunctiones eam coniungentes, ut cum dicitur historia una.

63. Inquit. Nominis generum aliquod est simplex et est illud, quod ex nominibus aliquid significantibus minime constituitur. Aliquod vero compositum et est duplex, nempe vel quod ex nominibus minime significantibus constituitur, videlicet prout unicam rem nominare quaeritur, ut servus solis, servus arcus. sic enim nihil significant. Aliud est quod ex nominibus significantibus constituitur. Omne praeterea nomen aut est *proprium aut ab alia lingua aut translatum, quod parum est in usu, aut ornatum seu metricum aut fictum aut productum aut subtractum aut commutatum. Proprium quidem est, quod in proprio usu est omnibus, qui sunt in unaquaque gente.

64. Ab alia vero lingua seu adventicium nomen est, quod ex alia natione sumptum est et ipsum poeta introducit eoque utitur in poemate suo, ut apud Arabes frequenter fit. Translatum vero nomen, quod raro in usum venit, est illatio nominis alieni atque translatio, vel a genere ad speciem, ut vocare translationem motum, vel a specie ad genus, ut iugulationem mortem vocare, aut a specie ad speciem, ut deceptionem vocare furtum: aut quod transferatur aliquid proportione respondens, ut quando aliquod secundum ad primum simili ratione se habet qua quartum ad tertium, ut vocabant aliqui Antiqui senium vesperam vitae et vesperam senium diei, quoniam ea ratione se habet senium ad vitam, qua vespera ad diem. Fictum praeterea nomen quod novum est, a nemine usurpatum, sed tantum a poeta fictum et primo impositum. hoc autem apud Arabes non est in usu, reperitur tamen in artibus nuperrime ortis et adinventis: verum quod in artibus fit, translatum est, non fictum. Porro productum atque subtractum non reperiuntur apud Arabes. erat autem

23 In margine: Averrois dicit verum.

6 : 57a 18. 12 : 57a 23. 14 : 57a 28. 17 : 57a 31. 21 : 57b 1. 25 : 57b 3. 27 : 57b 4. 29 : 57b 7—32. 37 : 57b 33. 41 : 57b 35.

productum, quod longiore vocali uteretur, quam sit eius propria ad partium harmoniam. per subtractum intelligebant nomen aliqua adiectione aut subtractione mutatum et ablatione atque conversione. intelligit autem per haec ea nomina, quibus difficile loquimur. per nomen autem intellectum puto intelligat diversum. Commutatum nomen est metaphoricum, quod ab aliqua re simili usurpatur, ut stellam vocare aquilam, aut a contrario ut solem corvum vocare, aut ab rei sequela ut vocare pinguedinem humidum et pluviam coelum.

65. Inquit. Praestantior oratio, quae intelligentiam praestat, est, quae omnibus est perspicua neminique incognita. Huiusmodi autem orationes ex nominibus notissimis constant, quae traditione recepta iam sunt, quae paulo ante propria vocavit nomina. appellantur quoque dominantia ac usualia. et oportet oblivioni non tradi, quis sit ille poeta, qui maxime hoc genere dictionum utitur.

66. Inquit. Orationes praestantiores maximeque venerandae sunt, quae ex nominibus receptis constant atque ex vocabulis peregrinis translata sunt et ex commutatis et cognominibus. nam si totum poema fuerit expers propriarum dictionum, erit utique aenigma vel barbarismus: et ideo barbarismi et aenigmata constant ex peregrinis nominibus. Voco autem peregrina translationem extensionem varietatemque linguarum: hoc est nomen translatum metaphoricum aequivocum et varietate linguarum praeditum. At si quis haec omnia simul congerat, ut diximus, aenigma efficiet vel barbarismum: aenigma quidem, si translationes, barbarismum vero, si linguas. Aenigma ergo ac Barbarismus est oratio, quae ex minime congruentibus inter se ita, ut correspondeant alicui rei, constant. Quod si per dictiones vulgares ac triviales id fiat, tunc congruentia illarum rerum inter se effici non poterit; sed si per dictiones non vulgatas, tunc effici poterit. Virtus autem orationis poeticae praestantioris est, ut ex propriis constet nominibus. sed cum non triviale minimeque humile genus quaerat, tunc utatur alio genere nominum. Itaque ridiculus est, qui quaerit perspicuitatem et utatur nominibus aequivocis, peregrinis aut lingua variis aut fictis. quemadmodum ridiculus quoque erit, qui quaerit admirationem, seu excludere vulgare ac delectationem quaerat, si nominibus plebeis omnibus utatur. Ergo poeta non debet excedere in usu nominum non propriorum, ne ad aenigma labatur, neque et propriorum, ne a forma poetica ad sermonem omnibus vulgatum labatur.

67. Inquit. Concinnitas atque convenientia dictionum inter se invicem atque mensurae aequae omnibus partibus correspondens est

---

9 In margine: Hic Averrois omisit de nomine Masculino, Feminino et Neutro tractare, de quibus Aristoteles hic locutus est.

---

5 extr. : 58a 5. 10 : 58a 17. 14 : 58a 20. 16 : 58a 21. 18 : 58a 24. 30 : 58a 31. 40 : 58b 11.

quidem quaedam regula necessaria communisque omnibus dictionibus, quae sunt partes orationis poeticae. nam nos invenimus poetas, qui licet utantur vocabulis propriis, ubi homines eos irrident propter huiusmodi usum eorum, nihil minus eorum poema non erit expers horum duorum, verbi causa metri et harmoniae in mensura, immo hoc est commune cunctis generibus poematis. at in carminibus, quae ex nominibus diversis constant, hoc magis apparet. Concinnitas vero dictionum ad mensuram, de qua locutus est, est ipsa convenientia inter sese in numero literarum. et si cum hoc adhuc conveniant in tota Poesi aut in parte eius, vocatur concinnitas et correspondentia seu proportio a contemporaneis nostris.

Inquit Averrois. Concinnitas in carmine multifariam fit, nam vel erit in tota oratione et toto negotio seu significato ut proditor proditor est, depraedator depraedator est, et alia id genus, vel erit in parte orationis et parte negocii, vel erit in parte orationis et in toto negotio, aut in tota oratione et parte negotii: aut in tota oratione tantum aut in parte orationis tantum aut in toto negotio tantum aut in parte negotii tantum. exemplum concinnitatis in parte orationis ex parte negotii (seu significati) sunt nomina derivata ab eodem significato et usu, ut cum dicimus: quot sunt viri puniendi, tot evenient punitiones et pro mensura et quantitate ambitionis erunt ambitiones. Exemplum concinnitatis in parte orationis et toto negotio, ut cum dicimus: moneta est excussio principis et excussa a principe. Exemplum vero huius contrarium in tota oratione et in parte negotii, ut cum nominibus utimur dubiis, ut cum diceretur: tegebat carnem sui et comedebat carnem sui, et quae conveniunt in parte orationis tantum, ut si dicatur: petrus vocatur et petram habet. quae vero in toto negotio tantum, ut sunt nomina synonyma ut fortis robustus. Exemplum eorum, quae in parte negotii tantum, ut sunt nomina disparata et distincta, quae unam et eandem rem significant diversis modis ut favus mel. Carmina vero Arabum concordant in quantitate seu mensura et in calce fineque orationis, sive in una litera, quae est ultima, sive in duabus literis. Porro metrum seu numerus partium orationis quadrifariam fit: primo si afferatur aliquid et eius simile, ut si dicatur sol et luna, aut contraria afferantur, ut si dicatur nox et dies, aut afferatur aliqua res et quae sunt ad eius usum, ut equus frenum et sagitta arcusque, aut res correspondentes aut proportionales afferantur, ut rex et Deus. haec autem proportionalia et correspondentia ex quatuor sumuntur rebus.

68. Inquit. Oratio est varia et mutatur a propria et vera, cum afferuntur in ea nomina metro concinna atque peregrina aliaque id

12 In margine: Interpres. Averrois voluit imitari Aristotelem in tradendis exemplis de concinnitate et attulit exempla in Arabica lingua quae non ita respondent. 30 liber: disperata.

40 : 58a 21.

genus mutationum. Argumento autem est, quod oratio poetica sit variata, quoniam, cum mutatur variaturque vera oratio, vocatur poema vel oratio poetica habetque actionem poematis seu fungitur officio poematis. tu autem invenies poemata commoventia seu incitantia ita se habere omnino. Quod si fuerit expers mutationum, nihil Poesis habebit praeter metrum tantum. fiunt autem varietates numero et concinnitate et permutatione et imitatione et tandem affert orationem non usitatam, ut est dimissio et conversio, additio atque negatio, prioritas postpositio, mutatio sermonis ex affirmatione ad negationem. ut si quis dixerit: quisnam interfecit hunc praeter te? vice huius: scilicet tu interfecisti eum, et ex negatione ad affirmationem etiam et demum ex opposito in oppositum. Ex varietatibus vero pulchris est concursus contrariorum in eandem rem, ita ut unum contrarium sit causa alterius contrarii. praestantior autem horum sermonum est, qui clarior ac manifestior similiorque. raro tamen reperitur hoc in poemate, quoniam horum quodcunque fuerit clarius atque similius, indicat maiorem experientiam: et hoc genus amplectitur optimam actionem poematum: hoc est movere animam. exempli causa mos cum fuerit vehementis similitudinis, praestabit optimam imitationem atque intelligentiam simul. Quandoque tamen accidit ex permutatione proportionata seu correspondente exigua intelligentia atque perceptio in animo auditorum eius, ut cum dicebatur: quando dignoscetis et distinguetis inter capillos flavos et albos? aliqui enim putabant albos esse veros, sed pro flavis intelligeretur adulterium.

69. Inquit. Nomina composita quadrant illi metro, in quo publicatur optima fama de bonis viris praeter aliquam pronunciationem alicuius particularis viri eorum. haec autem raro inveniuntur apud Arabes, ut servisolis pro servus solis. nomina autem variata quadrant illi poemati, in quo agitur de die iudicii et perturbationibus quibusdam: et hoc genus poematis est apud Graecos notum. Metaphorica vero nomina peregrina sunt propria poematibus, quae de exemplis et iudicio ac historiis publicis agunt.

70. Inquit. De Tragoedia igitur et de imitatione accommodata ad actionem ac de his, quae communia sunt generibus poematum, satis hactenus a nobis haec dicta sint.

71. Historiae vero narrativae seu fabulae partes sunt principium medium finis, non secus ac in Tragoediis et in imitatione. verum illarum imitatio non est actionum, sed temporum, in quibus illae actiones evenerunt. his enim fit imitatio dispositionum, videlicet quonam modo se habuerunt dispositiones temporis prioris ad eas,

---

33 In margine: Interpres. Averrois digressus est, ut complecteretur genera poematum Graecorum per poemata Arabica et confundit Aristotelis sensum obscure loquendo. 37 I. m.: De imitatione heroica.

---

1 : — ? 26 : 59a 8. 34 : 59a 15. 37 : 59a 16.

quae posterioris: idemtidem translatio posterioris et regni et dierum. huius autem generis imitatio raro fit in lingua Arabica, saepissime vero in historiis Legalibus.

72. Inquit. Partes huius generis sunt eaedem cum partibus Tragoediae praestantioribus, scilicet peripetia et agnitione et quae ex his duabus constant. quandoque tamen aliquae eius partes sunt genus patheticum, ut in Tragoedia etiam. et iudicia etiam eorum in usu harmoniae et apparatus sunt iudicia Tragoediae.

73. Narrat autem Aristoteles differentiam, quae est inter Tragoediam et alia genera Epopoeiae, quae erant eis propria ut quae peripetiis agnitionibus affectibus atque sententia et imitatione dictioneve: et quod dantur quaedam metra, quae magis congruunt quibusdam poematibus quam quibusdam aliis. Narratque Aristoteles, quis poetarum recte et quis non recte se gesserit in hoc, extollitque Homerum super ceteros alios. Totum tamen hoc est proprium ipsis Graecis et non reperitur apud nos simile: vel quia hoc, quod Aristoteles narrat, non sit commune pluribus gentibus, vel quia in his contingit ipsis Arabibus quid praeter naturale, et est evidentius, quoniam absit, quod Aristoteles in hoc suo libro describat aliquid, quod sit proprium ipsis Graecis, sed quod sit commune cunctis gentibus naturalibus.

74. Inquit. Id, quod poeta affert, debet esse brevius respectu orationis imitationis, ut quod faciat prologum breviorem: deinde se transferat ad id, quod vult imitari, et nihil inusitatum circa hoc afferat, sed usitatum tantum, quia inusitatum negatur. dixit autem hoc, ut opinor, quia gentes habent in suis imitationibus proprios usus secundum tempora et regiones.

75. Inquit. Si sermones longiores fiant nullamque varietatem neque imitationem habuerint, tunc considerare oportet in hoc, ut afferantur dictiones notae, quae significant res ipsas, non contrarias vel diversas, quae ex rebus apud eos manifestis constent. Sintque faciles in sermone, et videtur, quod hoc sit, quod apud Arabes elegantia sermonis vocatur. verum oportet hunc sermonem esse manifeste verum et vulgatum. nam veritas, quam conatur afferre, solvit peccatum exiguae eloquentiae, quam obtinet, exiguaeque varietatis et imitationis.


76. Inquit. Sex sunt peccata, quae in poemate committuntur,

---

8 In margine: Jacob. Averrois (lib.: Aristoteles) dicit hic praeter harmoniam etiam (lib.: et) apparatum contra sententiam Aristotelis (lib.: Averrois). 28 I. m.: Jacob. Non inveni in Aristotele hoc, quod dicit Averrois. 37 I. m.: De peccatis in poematibus.

---

4 : 59 b 10. 7 : (49 b 17). 9 : 59 b 7—12. 12 : 59 b 32—36. 13 : 59 a 37—b 7. 14 : 59 a 30—37, b 12—17; 60 a 5—11. 22 : 60 a 5—11. 28 : (59 b 31; 60 b 3). 37 : 60 b 6.



propter quae oportet poetam corripi. Primum est, quod imitetur id, quod est impossibile: quoniam imitatio debet esse de re, quae est vel existimatur esse, ut confingere malos per daemones vel per id, quod est possibile ut in pluribus vel in paucioribus vel ad utrumlibet indifferenter. hoc enim genus rerum magis congruit Rhetoricae quam Poeticae facultati.

Secundum peccatum poetae est, ut falsificet imitationem ut pictor, qui addat in aliqua figura aliquod membrum, quod non habet, vel eam depingat in loco, in quo non debet esse. ut si proles in priori parte animantis effingat quadrupedis, manus vero in posteriori. Tertium peccatum est effingere rationalia animantia per irrationalia: quoniam hoc quoque est ex locis correptionis. nam veritas in hac imitatione erit exigua, falsitas vero plurima. nisi forte quis aliquem imitetur affectum ipsius rationalis, qui sit communis rationali et irrationali: hoc autem in consuetudine solet esse, ut assimilare mulieres cervis. Quartum peccatum est imitari aliquid per aliquid simile contrario eius aut per proprium contrarium. Quintum est, si afferat nomina, quae indifferenter significant opposita, ut amotio, et multa alia in lingua Arabica reperiuntur.

Sextum, ut si dimiserit imitationem poeticam et transferat se ad persuasionem vel ad veras orationes, praesertim cum oratio fuerit derisoria et demens minimae persuasionis. hoc tamen genus potest esse quandoque congruum, videlicet cum fuerit exiguae persuasionis vel verum: hoc est quod in eo sit exigua varietas.

77. Inquit. Si loca peccati sunt sex et loca solutionis sunt illis opposita: ergo loca peccati essentialis et solutionis, quae sunt propria poesi, erunt duodecim, scilicet sex peccata et sex solutiones seu correctiones. exempla vero solutionis non reperiuntur apud nos, quia nostri poetae nihil horum cognoverunt vel consideraverunt. Haec inquam est summa eorum, quae intelligere potuimus de sententiis, quas Aristoteles attulit in hoc libro circa orationes communes cunctis generibus Poeticae facultatis ac proprias Tragoediae, id est communes omnibus vel plurimis earum. Reliquum vero, quod dixit in hoc libro de differentiis, quae insunt reliquis generibus poesis apud Graecos ac ipsi Tragoediae, est quidem eis proprium: parum tamen invenimus nos de hoc negotio tractare Aristotelem in hoc libro, et hoc est iudicium, quod hic liber non fuit recte interpretatus, immo reliquum erat tractare de reliquis differentiis multorum poematum, quae erant apud Graecos, ut promiserat in initio libri explicare. Quod autem omisit, quod erat commune, est tractare de Co-

---

25 In margine: Interpres. Aristoteles ait, quod solutiones ad obiectiones dictas contra poetas sunt duodecim, non autem ut Averrois ait, qui forte habuit malum textum.

---

1 : 60b 22. 7 : 60b 29. 11 : — ? 17 : (61a 31). 20 : — ? 25 : 61b 24. 33 : 61b 26—62b 15.

moediis: sed forte satis fuit de Tragoedia tractare, cum contrariorum eadem sit disciplina. Tu autem facile cognoscas ex his, quae hic scripsimus, quod id, quod consideraverunt nostri Arabes de regulis poeticis respectu eorum quae Aristoteles scripsit in hoc libro et in libro Rhetoricorum, est quid minimum, ut dixit Alfarabius. nec te latebit, quo pacto illae regulae recte reducuntur ad istas, et quod id, quod illi dixerunt de hoc, est rectius dictum, quam quod alio modo dictum est. et Deus qui dirigit sapientem ad viam felicitatis humanae, dirigat te ad id.

Paraphrasis Averrois in librum de Poetica finis.

Suo 'de Rhetorica persuasiva' libro Averrois pauca 'de orationibus poeticis' adiecit, quae hic adduntur, ut omnia habeas, quae ille in Poeticam contulit. Latine autem locum Abram de Balmes vertit.

In librum Poeticae. De orationibus poeticis.

Poeticae autem orationes sunt orationes metricae, quibus quaeritur rei assimilatio et exemplum in oratione ad promovendum rem versus fugam a re aut fugae enormitatem. Institutae autem sunt metricae, quia sic fit assimilatio profectior. Et sicut in maiore parte artium, quae assimilant rebus sensatis, sicut est ars picturae et aliae, non sunt verae ipsae res sensatae, sic orationes, quae assimilant rem, non sunt orationes, quibus intelligitur illius essentia. Assimilationum autem sunt duae species, videlicet species, qua assimilatur res alicui rei per unam dictionum assimilationis aut simulacrum sumptum, ac si esset essentia assimilati. hoc autem fit secundum commutationem et accommodationem, prout dicimus: terrae sudor est ipsum mare, quolibet illud tulerit. Hae autem industriae quaedam sunt proprinquae et quaedam remotae. Notum autem est, quod haec ars non sumat assimilationes, quod sint ipsamet res, sed aliquando erat maior pars hominum in hoc, et sumunt rei assimilationem secundum quod sit ipsamet res, prout dictum Empedoclis de aqua maris, quod sit terrae sudor, quem congregaverit in eius vesica. Fallunt autem istae assimilationes, quando sumuntur secundum modum permutationis et non venit in illis dictio assimilationis. Maior autem pars illius, quo fallunt hae similitudines, fit quando sumuntur secundum modum permutationis in res, quibus impossibile est imaginari assimilationem aut difficile est illam imaginari. Hae itaque sunt plures fallaciae, sicut non aestimatur, quod imaginetur ens, quod non sit intra mundum neque sit extra ipsum. Locus vero magis proprius huic errori est liber Elenchorum. Haec autem ars, licet sit syllogistica, tamen non utitur syllogismo in actu nec est ei propria species, qua approprietur. Quando vero uteretur oratione syllogistica in actu, id fit secundum modum erroris et assimilationis alii arti. Aristoteles autem, quia vidit, quod iuvamen huius artis sit magnae necessitatis, quia per eam promovetur vulgus versus fidem alicuius rei et ad non credendum illam versus actionem aliquam aut illius omissionem, numeravit res, quibus homo valet assimilare rem alicui rei de eo, cuius assimilationem proponit perfectissimo modo, quo possit fieri in hac re. Est itaque ars poetica ars, qua aestimatur homo, quod assimilet rem alicui rei, perfectione qua potest. Verum tamen hae perfectiones sunt extra perfectionem humanam. *(Reliqua nihil ad rem.)*

25 liber: q̄uolibet *(quod quid velit, nescio)*.

29 Ind. s. v. Empedocles 242a 30: Meteor. II, 1 p. 353b 11.

---

roes - Paraphrasis in librum poeticae
Aristotelis (Heidenhain ed) #7727
